

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7505

**Auteur(s) :** Guillaume Rohes [prévôt]

**Bénéficiaire(s) :** Raoul d'Argences, Fécamp, La Trinité (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1204, décembre

**Lieu d'émission :** Mantes

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Obligation des hommes de Boissi de rembourser l'argent que les moines de Fécamp leur ont avancé pour s'affranchir de la seigneurie de Gui Mauvoisin.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, p. 134, n. 34.

Texte établi d'après a

Noverint universi quod ego Guillelmus Rohes, tunc temporis prepositus de Boisseio, et omnes alii homines ejusdem ville, tenemur solvere absque aliqua reclamacione per singulos annos, festo Sancti Remigii, domino R. abbati Fiscannensi vel cui nos assignaverit, quater viginti libras parisiensium per annorum undecim curriculum, et duodecimo anno sequenti viginti libras ejusdem monete, termino incipiente anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> quinto, exceptis redditibus illis quos tenemur reddere feodaliter ecclesie Sancti Georgii de Medonta. Et sciendum quod dominus abbas R. Fiscannensis fecit nobis commedari pecuniam istam per homines suos de Villari Sancti Pauli, quibus invadiavit pro nobis usque ad sex annos manerium suum de Villari Sancti Pauli, ea videlicet intentione ut nos eriperet de manu et subjectione Guidonis Malivicini et fratrum suorum et omnium heredum suorum. Quod quidem in presentia karissimi nostri Philippi regis Francie factum est et firmatum apud Gysorz, sicut carte predicti regis Philippi et Guidonis Malivicini testantur et confirmant. Et, quoniam quod pro bono pacis et perpetua exemptione nostra et heredum nostrorum factum est, dignum duximus confirmari et inviolabiliter observari, a Nicholao Cato, tunc ballivo regis, et ad ipsum legato, omnes et singuli diligenter impetravimus, ut per litteras, sigilli sui caractere signaras, hujus conventionis nostre inviolabiliter observande testis efficeretur. Pena autem predictae conventionis nostre, assensu nostro et petitione nostra, talis statuta est, ut, nisi die statuto Beati Remigii predicta pecunia totaliter solveretur, nos in misericordiam decem librarum incideremus versus dominum abbatem, et ipse per quemlibet ballivorum suorum ad averia nostra libere posset recurrere. Actum anno gratie M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> quarto, apud Meduntam, mense decembris.